



# INDEX LECTIÖNVM

IN

## LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER HIEMEM

A DIE XV. OCTOBRIS ANNI MDCCCLXXV—VI.

LYCEO REGIO HOSIANO II. T. RICOTII

INSTITUENDARUM.

D. ERANG DITTRICH

BRUNSBERGENSIS

PRAECEDEIT PROF. LIC. HUGONIS WEISS DE ORIGINE PHILISTHINORUM COMMENTATIO.

---

BRUNSBERGAE,

TYPIS HEYNEANIS.

1875



# MINOTOLI LIBER

1

LYCEO REGII HOSIANI INSTITUTUS

LIBRARY OF THE

IV. VIZZIONE DELLA RICORDO DI A. DIR

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

Dr. FRANC. DITTRICH,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.

KSIAŻNICA MIEJSKA  
IM. KOPERNIKA  
W TORUNIU

Stadtbibliothek  
Toruń  
AB 1472

BRUNNBERGAE

BRUNNBERGAE

# LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS

# **R E C T O R E T S E N A T U S**

CIVIBUS SUE

S.

1. **V**etus multumque a viris doctis tractata est quaestio de origine Philistinorum<sup>1)</sup>. Nec mirum. Omnes enim populos populo Israëlitico finitos Philistini et re militari et pacis operibus longe superantes praestantissimi erant paedagogi populi a Deo selecti. — Qui primi enumerantur (Jud. 3, 1—4) inter eas gentes, quibus Jahve temporibus Josuae pepercit<sup>2)</sup>, „ut erudiret Israëlem ... ut postea discerent filii eorum certare cum hostibus et habere consuetudinem proeliandi ... ut in ipsis experiretur Israëlem, utrum audiret mandata Domini ... an non“ (Vulg.). S. Scriptura autem docet, Philistinos sexcenties Israëlitis bellum intulisse inde a Samgari judicis tempore usque ad exilium quod dicitur Babylonicum (Jud. 3, 31; 13; 16; I Sam. 7, 10; 9; 13; II Sam. 5, 17 etc.),<sup>3)</sup> unde factum est, ut Saulus, David alii Israëlitarum reges admirabili virtute ac fortitudine excellerent. — Praeterea Israëlitae Philistinorum vestigia sine dubio persequebantur in agris et vitibus colendis aliisque in artibus exercendis (cf. Jud. 15, 5; I Sam. 13, 20); neque parvi aestimandum est, quod quum civitatem suam conderent illorum civitatem optime constitutam ac gubernatam videbant.

Itaque scriptores rerum Israëliticarum quum Philistinorum conditionem cum fortuna fatisque populi a Deo selecti arctissime cohaerere intelligent optimo jure utriusque populi historiam simul

<sup>1)</sup> Cf. Calmet. *De origine et numinibus Philisthaeorum* (Dissertt. in Vet. et Nov. Test. I, pag. 473 sqq.); Hitzig, *Urgeschichte und Mythologie der Philistaeer*; Knobel, *Die Voelkertafel der Genesis*, pag. 215 sqq. Stark, *Gaza und die philistaeische Küste*; Hanneker, *Die Philistaeer*; Müller, *Die Semiten*, pag. 250 sqq. alii.

<sup>2)</sup> Cui loco non adversatur versus 18. cap. I., quo narratur Judaeos multas Philistinorum urbes expugnasse. Recte jam Calmetus judicavit Israëlitas potitos quidem fuisse Gaza, Ascalone, Accarone aliis oppidis, sed retinere possessas non valuisse. (Comment. in libr. Jud. I, 18). Itaque rejiciendam esse arbitramur hanc nonnullorum codicum (A et B) versionis Alexandrinae lectionem: καὶ οὐκ ἐκληρονόμησεν Ἰούδας τὴν Γάγαν οὐδὲ τὰ ὄρη αὐτῆς, οὐδὲ τὴν Ἀσκάλωνα οὐδὲ τὰ ὄρη αὐτῆς etc.

<sup>3)</sup> Cf. Reusch in Freib. Kirchen-Lexicon, VIII, p. 399.

enarrare solent, quamvis haud raro in magnas incurvant difficultates. — Maxime dolendum est, quod S. Scriptura Philistinorum neque interitum<sup>4)</sup> neque originem fusius describit. — Quae quum ita sint quumque praesertim de eorum primordiis interpretes plane adhuc dissentiant, non supervacaneum esse censuimus, nostram de hac quaestione sententiam vobis, Commilitones humanissimi, proponere.

2. Primum igitur perserutari libet hebraicae vocis *Pelischtim* seu *Pelischtijim* significationem. Quam qui a verbo aethiopico *falascha* i. e. migrare, peregrinari derivant, Philistinos esse „peregrinos“ seu „advenas“ arbitrantur<sup>5)</sup>. Hanc in sententiam haud probabilem eapropter permulti abierunt, quod in LXX versione omnibus fere locis pro *Pelischtim* legitur *ἄλλοφυλοι*<sup>6)</sup>. Immerito vero isti vocabulo graeco tanta vis tribuitur. Admodum enim dubium est, utrum interpretes Alexandrini hebraicam vocem omnino vertere voluerint, an traditione quadam commoti perpetuis patriae sua hostibus cognomen quoddam minus honorificum imposuerint an inepte atque absurde *Φυλιστεύμ* formaverint in *ἄλλοφυλοι*<sup>7)</sup>. Nos quidem haud scimus an Philistini, quippe qui Israëlitarum armis fortiter resistentes partem occidentalem Palaestinae solis Abrahami filiis quondam promissae perdiu obtinerent, „exteri“ seu „alienigenae“ (i. e. *ἄλλοφυλοι*) *κατ' ἔξοχην* a multis Israëlitis nominati sint<sup>8)</sup>. Quo cognomine interpretes illi hebraicae vocis significationem non respicientes passim postea usi sunt. — Cave autem ne ad comprobandum sententiam a nobis refutatam cum Knobelio huc afferas nomen gentis aethiopicae *Falascha* cuius vitam ac mores nonnulli itinerum scriptores nuper adumbrarunt<sup>9)</sup>. Quae gens sive a Judaeorum captivis, quos Sisakus rex in Aegyptum deduxerat<sup>10)</sup> (cf. I. Reg. 14, 25 sqq. II Chr. 12, 2 sqq.) sive a ducentis illis millibus militum Aegyptiorum Psammeticho regnante in regiones meridionales emigrantium<sup>11)</sup> originem trahit, nomen suum aethiopicum sine ulla dubitatione ab ipsis Aethiopibus accepit; quis vero asseveret, Philistinos quoque a populo isto remoto nominatos esse! In ceteris autem dialectis semiticis vocabulum aethiopico *falascha* affine non reperitur.

Venio ad aliam vocis hebraicae derivationem. Palaestinae pars maritima a Philistinibus obsessa *schephela* = *schepheleth* i. e. planities appellabatur (cf. Dt. 1, 7; Jos. 9, 1; 11, 2 etc.); cuius incolas a gentibus montes vicinos habitantibus *schephiltim* (cf. Niederlaender) vocatos esse verisimillimum est. Quum autem in vocibus hebraicis per transpositionem singulae literae saepius inter se permittentur<sup>12)</sup>, Redslobius ex *Schephiltim* paullatim *Pelischtim*, ex *Schepheleth* *Pelescheth* formatum esse multis allatis exemplis eruditely demonstravit<sup>13)</sup>. Cui sententiae assentientibus nobis grave liceat addere argumentum parum adhuc ab interpretibus respectum.

<sup>4)</sup> Posterioribus temporibus commemorantur γῆ *Φυλιστεύμ* (I Macc. 3, 24) "Αζωτος, Ακκαρών, alia oppida Philistinorum (ibid. 10, 83 sqq.); ipsius vero populi antea celeberrimi post redditum Israëlitarum ex captivitate Babylonica sexto a. Chr. n. saeculo factum nusquam fit mentio.

<sup>5)</sup> Cf. Gesenius, Thesaurus II, p. 1107; Knobel, l. c. p. 218 sq. Hannecker, l. c. p. 17. Fuerst, Hebr. Handwoerterbuch s. v. *Pelescheth*.

<sup>6)</sup> In Pentateucho, libr. Jos. Sir. 46, 18; I Macc. 3, 24 transcribitur *Φυλιστεύμ*.

<sup>7)</sup> Ewald, Geschichte des Volkes Israel I, p. 292. Lengerke, Kenaan I, p. 194.

<sup>8)</sup> Cf. Theodore. ad Ps. LIX: Ἀλλοφύλους μέντοι καλεῖ τοὺς Παλαιστίνους ἡ θεῖα γραφὴ οὐχ ὡς τῶν ἄλλων ἐθνῶν ὁμοφύλων ὄντων, ἀλλ' ὡς τῶν ἄλλων μὲν ἀφεσιγκότων τούτων δὲ οὐ μόνον ὅμόδων ὄντων ἄλλα καὶ μεταξὺ κατοικούντων.

<sup>9)</sup> Cf. Knobel, l. c. p. 281 sq.

<sup>10)</sup> Cf. Commentat. nostr. „de aetate, qua Obadja propheta vaticinatus sit“ in Ind. lect. Lyc. Reg. Hos. 1873—74, p. 5.

<sup>11)</sup> Herod. hist. II, 30; Diod. Sic. Bibl. histor. I, 67.

<sup>12)</sup> Ewald, Ausführliches Lehrbuch der hebr. Sprache § 78 c.

<sup>13)</sup> Redslob, Die alttestamentlichen Namen, p. 4 sq. Cf. Arnold in Ersch et Gruber, Encyclop. III, XXIII p. 321 sqq.

Canaan i. e. regio plana, depressa, humilis antiquissimum Palaestinae nomen, de ea tantum terrae sanctae parte olim usurpatum, quae „ad radices montium in depresso maris litora“ sita erat<sup>14)</sup> (Num. 13, 29; Jos. 5, 1) totam postea significabat Palaestinam (Jos. 21, 2; 22, 9 etc.), Jebusitae autem, Kenitae, Kenisitae alii populi nomen „Cananaei“ adoptabant (cf. Gen. 15, 19 sqq. et 12, 6). Quum igitur *schephela* eandem quam *Canaan* habeat vim ac significationem, immo ipsa *Pelescheth* Zeph. 2, 5 *Canaan* nominetur<sup>15)</sup>, vix potest dubitari, quin Philistini aequa ac Cananaei a domesticae terrae natura nomen suum repetierint<sup>16)</sup>. — Attamen sive illam sive hanc nostram sententiam modo explicatam sequeris<sup>17)</sup>: solius nominis significatio minime originem Philistinorum satis indicare videtur, ita ut opus sit, alia S. Scripturae hac de re testimonia inspicere.

3. Tribus in locis Veteris Testamenti prior Philistinorum patria *Caphtor* nominatur. Cf. Dt. 2, 23: „Avvaeos habitantes in villis usque ad Gazam Caphtoraei egressi ex *Caphtor* profligarunt et consederunt in locis eorum“. Am. 9, 7: „Nonne Israëlem ascendere jussi ex Aegypto et Philistinos ex *Caphtor* et Syros ex *Qir?*“ Jer. 47, 4: „Depopulatur Jahve Philistinos, residuum terrae maritimae (seu insulae, hebr. ְאַיָּה) *Caphtor*“. Ista autem terra *Caphtor* quaeritur ubinam sita fuerit.

Unanimi fere consensu veteres S. Scripturae versiones et interpretes Cappadociam, Asiae minoris provinciam sic appellatam esse volunt<sup>18)</sup>. Quam opinionem ex similitudine vocabulorum enatam cum Gesenio<sup>19)</sup> adhuc retinere merito dubitamus hac potissimum de causa, quod Lassenius inter inscriptiones Persepolitanas *Katpatuk*, antiquum Cappadociae nomen invenit<sup>20)</sup>, quod adeo differt a vocabulo *Caphtor*, ut alterum ex altero oriri non potuerit<sup>21)</sup>. Alibi ergo regio ista quaerenda est.

Diligenter examinato Philistinorum cognomine quodam gentili Calmetus veram ipsorum patriam vocavit Cretam insulam, quanquam quare nomen *Caphtor* ipsi annexum fuerit, non perspexit<sup>22)</sup>. Hos autem perlustrat S. Scripturae locos. I Sam. 30, 14: „Irrupimus (Amalekitae) in plagam meridionalem *Crethim* (LXX Χελεθί = Χερεθί; Vulg. Cerethi) ... et Sicileg (urbem in terra Philistinorum sitam) succendimus igni;“ Ezech. 25, 16: „Ecce ego (Jahve) extendam manum meam super Philistinos et interficiam *Crethim* (LXX Κρῆτας, Vulg. interfectores) et perdam residuum regionis mari-

<sup>14)</sup> Fuerst, Vet. Test. Concord. s. v. Kenaan; Ewald, l. c. I, p. 281; Winer, Bibl. Real-Wörterbuch, I, p. 208.

<sup>15)</sup> Zeph. 2, 5: „Vae, qui habitatis funiculum maris, gēns perditorum: verbum Domini super vos, Chanaan, terra Philistinorum, et disperdam te ita, ut non sit inhabitator“. (Vulg.)

<sup>16)</sup> Notatu dignum est, Assyrios octavo abhinc saeculo a. Chr. n. et paulo post occidentales populos nomine isto regionis maritimae *Pelescheth* — assyr. *Palastav*, graec. Παλαστίνη — de tota Judaea ceterisque terrae sanctae partibus usos esse. Cf. Schrader, Die Keilinschriften und das alte Testament, p. 25; 110 sqq. Herod. I, 105; II, 104.

<sup>17)</sup> Hitzigii sententiam — Urgeschichte und Mythologie der Philistaeer p. 35 sqq. — ab omnibus interpretibus usque ad unum refutatam non examinasse sed leviter tantum hoc loco attigisse, satis est. Qui vocibus sanscriticis *valakscha* et *baladscha* inter se comparatis Philistinos esse Pelasgos indogermanieos opinatur. Cf. Hannecker l. c. p. 16 sq.

<sup>18)</sup> LXX ad Dt. 2, 23; Am. 9, 7 Cald. Syr. Vulg. Hieron. in Onomast. s. v. Gaza. Theodoret. in Jes. 9, 12; Jer. 47, 4.

<sup>19)</sup> Thesaur. I, p. 709.

<sup>20)</sup> Lassen, Altpersische Keilinschriften, p. 88.

<sup>21)</sup> Voci hebraicæ ī significatio est „insula“ et „litus“ (cf. Jes. 26, 6; Ezech. 26, 15, 18). Quam ob rem haud recte Hanneckerus l. c. p. 20 ad sententiam illam veterum scriptorum impugnandam laudat Jerem. 47, 4.

<sup>22)</sup> Calmet. l. c. p. 473 sqq. Cf. Rosenmueller, Bibl. Alterthumskunde II, 2, p. 363; III, p. 385. Movers, Die Phoenizier I, 28 sq.

timae“; Zeph. 2, 5: „Vae qui habitatis tractum maritimum, gens *Crethim* (LXX πάροικοι Κρητῶν, Vulg. gens perditorum) ... terra Philistinorum!“ — Quibus omnibus in locis *Crethim* est nomen gentile cum voce *Pelischtim* promiscue usurpatum, id quod S. Hieronymum — cf. Vulg. in Ezech. 25, 16 et Zeph. 2, 5 — fugit, qui in textu suo hebraico vocalibus etiamtum fortasse carente non *Crethim* sed *Corethim* i. e. perditores legisse videtur<sup>23)</sup>.

Neque alia significatio vocabulo *Crethim* inesse potest iis locis, in quibus *Crethi* et *Plethi* (LXX ὁ Χελεθὶ καὶ ὁ Φέλεθὶ, Vulg. Cerethi et Phelethi; Targ. Jonath. et Syr. sagittarii et fundatores) Davidis satellites commemorantur. Cf. II. Sam. 8, 18; 15, 18; 20, 7, 23; I Reg. 1, 38, 40; I Chr. 18, 17. Philistinorum nomen (*Plethi*) hie per paronomasiam in libris Veteris Testamenti persaepe obviam (cf. *tohu wabohu* Gen. 1, 2; *zav lazav qaw lagaw* Jes. 28, 10)<sup>24)</sup> abbreviatum et in speciem vocis antecedentis *Crethi* assimilatum est; ideoque duae unius populi partes inter se cognatae istis nominibus notantur. Gesenius quidem<sup>25)</sup> „parum“ inquit „credibile est, Davidem corporis custodes ex gente Hebraeis tantopere et invisa et infesta elegisse“, qua de causa vocabula illa appellative „carnifices et cursores“ interpretatur. Quis vero nesciat, permultos viros bellicosos et antiquis et nostris temporibus mercede apud populos ipsorum patriae infestos militasse!<sup>26)</sup>. Sexcenti Gathaei Davidem regem interdum in summis angustiis versantem fideliter protexisse feruntur (II Sam. 15, 18 sqq.); Sauli servus praestantissimus erat Doëg Idumaeus (I Sam. 21, 7)! — Itaque non dubitamus quin Philistini, quum et ex *Caphtor*, terra maritima emigraverint et *Crethim* nomen vere gentile gesserint, prioribus temporibus in Creta, insula maris Mediterranei, *Caphtor* cognominata habitaverint. Quam sententiam nostram ex sola S. Scriptura erutam nonnulla veterum Graecorum et Romanorum testimonia confirmant.

Primum enim in illorum libris geographicis inter insignia Cretae insulae oppida appellatur *Aptera*<sup>27)</sup>, quod nomen ad similitudinem vocis *Caphtor* prope accedere nemo non videt. — Tum Tacitus Hierosolymorum urbis famosae primordia describens „*Judeeos*“ inquit „Creta insula profugos novissima Libyae insedisse memorant, qua tempestate Saturnus, vi Jovis pulsus, cesserit regnis. Argumentum e nomine petitur: inclytum in Creta Idam montem, adeolas Idaeos, aucto in barbarum cognomento *Judeeos* vocitari“<sup>28)</sup>. Qua in expositione, quanquam Philistinos et *Judeeos* aperte confundit Tacitus notabilem traditionem de Cretensium emigratione in Palaestinam affert. Quod autem Philistinorum terram „novissima Libya“ nominat nos minime offendit, quoniam tum temporis regiones quaedam Africae orientalis et Syriae occidentalis modo Libyae, modo Palaestinae annumerabantur<sup>29)</sup>. — Porro permagni momenti sunt Stephani Byzantini verba s. v. Γάζα: „Γάζα ... ἐκλήθη καὶ Μίνως, ὅτι Μίνως σὺν τοῖς ἀδελφοῖς Αἴανῷ καὶ Ραδαμάνθει ἤών ἐξ αὐτοῦ ταύτην ἐκάλεσεν. ἔνθεν καὶ τὸ τοῦ Κρηταίον Διός παρ' αὐτοῖς εἶναι δὲ (ὅν) καὶ καθ' ἡμᾶς ἐκάλουν Μαργάνην ἐρμηνευόμενον Κρηταγενῆ“<sup>30)</sup>. Stephani de Minoë rege Cretensi relatio respondet Taciti de Saturno narrationi,

<sup>23)</sup> Reinke, Der Prophet Zephanja, p. 92 sq.

<sup>24)</sup> Cf. Gesenius, Lehrgebäude § 237.

<sup>25)</sup> Thesaur. I, 719.

<sup>26)</sup> Graeci apud Persas, Germani apud Romanos stipendia merebant. Cf. Mueller, l. c. p. 264 sq.

<sup>27)</sup> Strabo, Rer. geogr. X, 479; Plin. Hist. nat. IV, p. 20; Ptol. Geogr. III, 17, § 10.

<sup>28)</sup> Tacit. Histor. V, 2.

<sup>29)</sup> Ptol. IV, 5, § 12; V, 16, § 2; VIII, 15, § 1. Cf. Knobel, l. c. p. 222.

<sup>30)</sup> Cf. Vita s. Porphyrii ap. Bolland. Acta sanet. V. 655: Erant autem in urbe simulacrorum publica templa octo, nempe Solis et Veneris et Apollinis et Proserpinæ et quod dicebatur Herion et sacerdotum et Fortunæ civitatis et Marnion, quod dicebant esse Cretigenae Jovis, quod existimabant esse gloriosius omnibus templis, quae sunt ubique“.

quacum ea quoque optime congruunt, quae Diodorus, Cicero, alii de pugnis Jovem Hellenicum inter et Baalum, Apollinem, alias deos populorum Asiaticorum in Creta insula factis memoriae prodiderunt<sup>31)</sup>. Imprimis autem in illud animum nostrum advertimus, quod Cretenses ex Stephani quoque sententia cum Philistinis magnum habuerunt commercium<sup>32)</sup>.

Quae gravissima argumenta qui perspexerunt nos de priore Philistinorum patria recte judicasse eo libentius concedent, si contigerit nobis, ut qua de causa Creta insula *Caphtor* cognominata sit evidenter demonstremus. Quapropter difficiliore quodam loco Genesis antea explicato de quaestione illa quam accuratissime disputabimus.

4. S. Scripturae locis supra (Nro. 3) laudatis — Dt. 2, 23; Am. 9, 7; Jer. 47, 4 — in quibus Philistinos ex *Caphtor* migrasse traditur adversari videtur quod enarratur Gen. 10, 13 sq. „*Mizrajim* i. e. Aegyptus genuit ... et Casluchaeos, unde egressi sunt Philistini, et Caphtoraeos“. Quid ergo? Quomodo et *Caphtor* i. e. Creta et Casluchaeorum pagus in Aegypto situs patria Philistinorum vocari potuit? — Quam ad difficultatem removendam Vaterus<sup>33)</sup>, Rosenmuellerus<sup>34)</sup>, Gesenius<sup>35)</sup> suspiciati negligentia scribarum genuinum verborum ordinem mutatum esse verba *ascher jaz' u mischscham Pelischtim* post *Caphtorim* posuerunt. At quum jam Codex Samaritanus et Chronista (I Chr. 1, 12) omnesque veteres versiones textum hebraicum qui nunc est ante oculos habuerint, probabiliorum difficultatis solutionem quaeramus necesse est<sup>36)</sup>.

Nonnulla nomina filiorum Aegypti (Gen. 10, 13 sqq.) etymon habent mere Aegyptiacum. V. gr. *Naphtuchim* sunt *οἱ (na) τοῦ Φρᾶ* i. e. ejus regionis (sc. Memphis et locorum urbi propinquorum) incolae, ubi Ptah, Aegyptiorum deus summis honoribus colebatur<sup>37)</sup>. *Patrusim* in Aegypto superiore habitantes a *pet-res* (i. e. terra meridionalis) appellati sunt<sup>38)</sup>. Similiter autem sine dubio *Casloach* provinciae nomen derivandum est. Propria significatio vocis copticae *kas-lokh* est „mons ariditatis“, qui ab Herodoto „mons Casius“ vocatus<sup>39)</sup> Cassiotidi pago Pelusium inter et Gazam sito nomen dedit. Istam igitur terram aridam ac torridam tenuisse Casluchaeos verisimile est<sup>40)</sup>. — In occidentem autem versus antiquissimis temporibus alia gens Aegyptiaca cultui Hori penitus dedita habitasse videtur. Tria enim tempa celeberrima ipsi deo ejusque patronae dedicata in Chemmis insula et

<sup>31)</sup> Diodor V, 71; Cic. De nat. deor. III, 23. Cf. Krause, Der Name des Gottes Baal in historischer und sprachgeschichtlicher Beziehung. Progr. Gymn. reg. Gleiwitz. 1872.

<sup>32)</sup> Cf. Theodoret. in Zeph. 2, 5: παροίκους δὲ Κρητῶν ἀντὶ τοῦ ἀποίκους τέθεισεν. ὡς ἐν παραθύλλασσοις γὰρ πόλεσσιν εἶχος τινας ἀπὸ Κρήτης ἀφίκεσθαι καὶ κατοικῆσαι.

<sup>33)</sup> Commentar über den Pentateuch I, p. 134.

<sup>34)</sup> Scholia in Vet. Test. I, p. 219.

<sup>35)</sup> Thesaurus I, 709.

<sup>36)</sup> Arnoldus (Ersch et Gruber III, XXIII, p. 321 sqq.) et Winerus (Realwörterb. s. v. *Caphtor*) quattuor illos S. Scripturae locos inter se conciliare omnino non conati sunt.

<sup>37)</sup> Ebers, Aegypten und die Buecher Mose's I, p. 112 sqq.

<sup>38)</sup> Delitzsch, Commentar über die Genesis, ed. IV, p. 248.

<sup>39)</sup> Herod. II, 6, 158; III, 5.

<sup>40)</sup> Ptol. IV, 5, § 12. Ammian Marcell. XXII, 16. Cf. Fuerst, Lexicon s. v. *Casloach*; Knobel, I. c. p. 290 sq. Perpauci tantum viri docti per Plutarchum (cf. de Iside c. 38) seducti regionum illarum maritimorum incolas perperam Naphtuchaeos vocant. Quos perbene refellit Ebersius I. c. p. 113 sq. — Bochartus — Phaleg IV, 31, 32 — multis veterum poëtarum et historiographorum testimoniis allatis Casluchaeos esse Colchos contendit. Neque negandum est quin variae Colchorum mores atque consuetudines originem aegyptiacam sapiant (cf. Herod. II, 104, 105). Quum autem quo tempore et ex quanam Aegypti parte accolae illi Ponti Euxini emigraverint incertum sit, ipsorum cum Aegyptiis consanguinitatem agnoscere hoc loco satis habemus. Cf. Hannecker, I. c. p. 17 sq.

Butone in urbe ad ostium Sebennyticum Nili sita exstructa erant<sup>41)</sup>). Qua de causa compluribus vocibus Aegyptiacis examinatis Dieterichus regioni modo descriptae nomen KAH-Pet-HOR (cf. *Kaȝwəq*) i. e. „terra Hori“ tribendum et reapse tributum esse argute exposuit<sup>42)</sup>). KAH enim aegypt. est „terra“, „regio“, PT autem, quod verbum demonstrativum „celui qui est à“, „celui qui appartient à“ significat, ad permulta nomina et hominum et locorum formanda adhibetur. Sicut igitur *Ptah* dei cultores apte *Naphtuchim* appellabantur, similiter certo ii qui regionem Horo dedicatam obtinebant nomine *Capthorim* uti poterant.

Atque ita appareat Casluchaeos et Capthoraeos gentes vicinas septentrionalem patriae partem possedisse; quam Dieterichi conjecturam approbantes hanc nostram de Philistinorum origine et primordiis proponimus sententiam: Philistini i. e. Capthorim Aegypti septentrionalis incolae inundationibus<sup>43)</sup> aliisve de causis patria expulsi duabus diversis locis nova domicilia sibi collocarunt. Altera populi pars per Casluchaeorum pagum profecta regionem maritimam terrae Canaan occupavit ibique nomen *Pelischtim* assumpsit; pars altera, antiquum nomen retinens Cretam insulam petiit, unde identitem posterioribus temporibus permulti in cognatorum Philistinorum civitatem magnis opibus florescentem migrarunt.

Nescio an sola nostra interpretatione omnes S. Scripturae loci hue referendi commode inter se conciliari possint. Gen. 10, 14 non origo sed via multorum Philistinorum describitur<sup>44)</sup>), ceteris locis supra laudatis hagiographi Cretam, posterius aliorum Capthoraeorum domicilium respiciunt. Revera autem magnam Capthoraeorum partem ex Aegypto in Cretam pervenisse continuo demonstrandum est.

5. Plurimorum colonorum moris est, ut novis suis sedibus nomen prioris patriae imponant. Notum est, Italiam meridionalem, quam coloni Graeci occupaverant, sive a Romanis sive ab ipsis Graecis Graeciam magnam appellatam fuisse. Seneca<sup>45)</sup> „totum“ inquit „Italiae latus quod infero mari alluitur, major Graecia fuit“. Solymi in ora occidentali Asiae minoris habitantes terram suam Phoeniciam nominaverant memores procul dubio pristinae patriae<sup>46)</sup>, quod idem nomen permultas Phoenicum colonias habuisse veteres scriptores referunt<sup>47)</sup>. Miletum urbs in Asia minore sita a Mileto, antiquiore urbe Cretae insulae nomen acceperat<sup>48)</sup>. — Plura exempla ex nostra aetate desumpta in medium proferre non est in animo, quoniam omnibus fere in terris multa exstant loca, quae unde primi ipsorum incolae emigraverint nominibus suis aperte annuntiant. — Similiter igitur mea quidem opinione Capthoraei pagi sui aegyptiaci *Capthor* nomen in Cretam insulam transtulerunt in ea fortasse regione prima novae patriae fundamenta jacentes, ubi quam supra commemoravimus Aptera (pro Captera!) urbs postea vigebat.

<sup>41)</sup> Herod. II, 155, 156.

<sup>42)</sup> Merx, Archiv III, p. 313 sqq.

<sup>43)</sup> Cf. Strabo I, p. 58: Ἡμῶν ἐπιδημούντων ἐν Ἀλεξανδρείᾳ τῇ πρὸς Αἰγύπτῳ περὶ Πηλούσιον καὶ τὸ Κάστον ὅρος μετεωρισθὲν τὸ πέλαγος, ἐπέκλυσε τὴν γῆν καὶ νῆσον ἐποίησε τὸ ὅρος· ὥστε πλωτὴν γενέσθαι τὴν παρὰ τὸ Κάστον ὁδὸν τὴν ἐς Φοινίκην.

<sup>44)</sup> Cf. Knobel, I. c. p. 215 sq.

<sup>45)</sup> Ad Helviam VI, 9. Cf. Plin. III, 5, 10. Ptol. III, 1, § 75. Strabo VI, 253: Ὅστερον μὲν γε καὶ τῆς μεσογαίῆς πολλὴν ἀργόνηντο (Ἐλληνες) ἀπό τῶν Τρωϊκῶν ἀρξάμενοι χρόνων. καὶ δὴ ἐπὶ τοσοῦτον ηὔξαντο, ὥστε τὴν μεγάλην Ἑλλάδα ταύτην ἔλεγον καὶ τὴν Σικελίαν. Cf. Pauly, Real-Encyclopaedie III p. 947.

<sup>46)</sup> Movers, Phoenicier I, p. 15 sq.

<sup>47)</sup> Steph. Byz. s. v. *Ios*: ἐκαλεῖτο δὲ καὶ Φοινίκη ἡ *Ios* (νῆσος). Plin. V, 39 de Tenedo insula; Athenaeus, lib. IV c. 76, p. 174 de Caria.

<sup>48)</sup> Hom. Il. II, 647. Strabo XII, 573; XIV, 634.

Tum non praetermittendum est quod Strabo memorat, antiquissimos Cretae habitatores oram meridionalem in Aegyptum spectantem incoluisse<sup>49)</sup>. Hinc ergo multi coloni novas sedes collocaturi olim secesserunt. — Quod accuratius perpendere debebant recentiores historiographi, qui in adumbranda Cretensium origine prorsus inter se differentes Carios, insulae illius indigenas<sup>50)</sup>, modo ad Indogermanos modo ad Semitas modo ad Chamitas ascribunt<sup>51)</sup>). Nos quidem pro certo habemus populum Caricum ex variis gentibus conglomeratum Capthoraeorum quoque ex Aegypto advenientium haud parvam partem in bellatorum suorum numerum ascivisse. Cf. II Sam. 20, 23; II Reg. 11, 4. 19.

Deinde in favorem sententiae nostrae fabellas quasdam Aegyptiorum enarrare juvat. Legimus enim in Dioderi Bibliotheca historica hunc locum: „Αέγεται ... τὸν Ἀμμωνα σιτοδεῖς πιεζόμενον φυγεῖν εἰς Κρήτην καὶ γῆμαντα τῶν τότε βασιλεύντων Κονούτων ἐνὸς θυγατέρα Κρήτην δυναστεῦσαι τε τῶν τόπων καὶ τὸ πρό τοῦ τὴν νῆσον Ἰδαίαν καλονομένην ἀπὸ τῆς γνναικὸς ὄνομάσαι Κρήτην<sup>52)</sup>). Nec minus gravia haec sunt Diodori verba: Οἱ δοῦν Αἰγύπτιοι φασι καὶ μετὰ ταῦτα ἀποίκιας πλείστας ἐξ Αἰγύπτου κατὰ πᾶσαν διασπαρῆνται τὴν οἰκουμένην εἰς Βαβυλῶνα μὲν γὰρ ἀγαγεῖν ἀποίκους Βῆλον τὸν νομιζόμενον Ποσειδῶνος εἶναι καὶ Αιθύης ... λέγονται δὲ καὶ τοὺς περὶ τὸν Δαραὸν ὄρμηθέντας ὄμοιοις ἐκεῖθεν συνοικίσαι τὴν ἀρχαιοτάτην σκεδὸν τῶν παρ' Ἐλλησι πόλεων Ἀργος, τὸ τε τῶν Κόλχων ἔθνος ἐν τῷ Ηόντῳ καὶ τὸ τῶν Ιονδαίων ἀνὰ μέσον Ἀραβίας καὶ Συρίας οἰκίσαι τινὰς ὄρμηθέντας παρ' αὐτῶν ... καὶ τοὺς Ἀθηναίους δέ φασιν ἀποίκους εἶναι Σαΐτῶν τῶν ἐξ Αἰγύπτου καὶ πειρῶνται τῆς οἰκειότητος ταύτης φέρειν ἀποδεῖξεις ... καθόλου δὲ πλείστας ἀποίκιας Αἰγύπτιοι φασιν ἐκπέμψαι τοὺς ἔαντον προγόνους ἐπὶ πολλὰ μέρη τῆς οἰκουμένης διὰ τε τὴν ὑπεροχὴν τῶν βασιλευσάντων παρ' αὐτοῖς καὶ διὰ τὴν ἵπερβολὴν τῆς πολυναθωπίας<sup>53)</sup>“. — Multitudo illa Aegyptiorum in Graeciam vix potuit pervenire priusquam Cretam multo propinquorem occupassent. Quam ob rem Diodori tempore Aegyptii de Ammonis dei fuga verba facientes non tam historiam mere fabularem protulisse quam pristinae demigrationis in Cretam vere factae memoriam redintegrasse nobis videntur.

Denique audiendus est Saadia haggaon celeberrimus Judaeorum magister, qui in versione sua arabica Gen. 10, 14 pro *Capthorim* scripsit *Dimjati*, Damiettam urbem et loca adjacentia significans, quam regionem nos quoque Capthoraeorum patriam vocavimus. Cujus arbitrium ne parvi aestimemus eo prohibemur, quod Saadia († 942) merito propter insignem eruditionem suam celebratus in ipsa Aegypto natus erat et quod usque ad decimum saeculum ad unum omnes scriptores Cappadociam esse Capthor (cf. Nro. 3) contenderunt. Tam multis et gravibus Veterum testimoniis Saadia non repugnasset nisi perantiqua traditione aegyptiaca de vero regionis Capthor situ certior factus esset<sup>54)</sup>.

Itaque duas invenimus terras uno atque eodem nomine Capthor signatas, simulque quare ab Aegypto septentrionali, pristina omnium Capthoraeorum seu Philistinorum patria, Creta insula cognomen illud acceperit cognovimus. Restat igitur, ut quaeramus, utrum Philistini ortu ac natione Aegyptii fuerint an posterioribus temporibus nullo consanguinitatis vinculo cum ceteris Aegyptiis conjuncti in oram illam septentrionalem immigraverint.

6. Flavius Josephus<sup>55)</sup> de nominibus gentium disputans „τῶν Μεσοραιμον“ inquit „παίδων ὅπτω γενομένων οἱ πάντες τὴν ἀπὸ Γάζης έως Αἰγύπτου γῆν κατέσχον“. Quam in rectam sententiam

<sup>49)</sup> Strabo, X, 475.

<sup>50)</sup> Herod. I, 171. Thukyd. I, 8. Pomp. Mela I, 16.

<sup>51)</sup> Cf. Mueller, l. c. p. 278. Delitzsch, l. c. p. 547.

<sup>52)</sup> Diod. I, 71.

<sup>53)</sup> Diod. I, 28. Cf. Herod. II, 91.

<sup>54)</sup> Cf. Haneberg, Bibl. Offenbarung, ed. III, p. 801 sq. — Merx, Archiv l. c. p. 317 sq.

<sup>55)</sup> Antiq. I, 6, 2.

de Philistinorum cum Aegyptiis consanguinitate Josephus, Judaeus doctissimus, vix falsa interpretatione verborum: *Casluchim ascher mischscham jaz'u Pelischtim* (Gen. 10, 14) perductus est. Neminem linguae hebraicae scientem effugere potest, vocabulum *mischscham* solum locum indicare, unde Philistinorum majores egressi erant: Moses si ipsorum originem a Casluchaeis deducere voluissest, pro *mischscham* dixisset *mehém*. Nonne potius Josephus propterea quod omnino in inclyto decimo Genesis capite gentes areta propinquitate inter se conjunctae enumerantur, judicare debuit, Philistinos quoque cum Aegypti filiis una nominatis vincula quodam sanguinis cohaesisse?<sup>56)</sup> Praeterea autem cognomen „Caphtorim“ Philistinorum cum ceteris Aegyptiis propinquitatem ac necessitudinem adeo manifeste indicat, ut quum plurimorum recentiorum interpretum tum eorum opinionem valde miremur, qui, etsi pristinum Cretensium cum Aegyptiis commercium cognitum habent, nihilominus in Asia illorum patriam indagare student<sup>57)</sup>.

At Philistini ab Aegyptiis orti posterioribus tamen in domiciliis suis aliis cum gentibus societatem tam familiarem inierunt, ut judicum regumque Israeliticorum temporibus a majorum suorum natura ac moribus longe abessent. — Jam diu enim antequam primi Philistinorum coloni in Palaestinam immigraverunt, Amalekitae, Amorrhæi, Rephaim, Enakim, aliae gentes semiticæ<sup>58)</sup> ab Assyriis ex Asia interiore occidentem versus depulsæ totam terram cisjordanensem possederunt<sup>59)</sup>. Immo nonnullarum urbium a Philistinis postea obsessarum conditores illæ ipsæ gentes fuisse videntur<sup>60)</sup>. Aliquanto post Cananaei chamitici in sedibus suis prope sinum Persicum sitis<sup>61)</sup> „terrae motu vexati relieto patriæ solo Assyrium stagnum primo, mox mari proximum littus incoluerunt<sup>62)</sup>“. Qui sermone vernaculo oblivioni dato cum Semitis finitimis ita coaluerunt<sup>63)</sup>, ut multi Israëlitæ nescirent, quinam indigenæ natione Cananaei essent, quinam Semitae. (Gen. 15, 16; Jos. 7, 7; 24, 15; Jud. 6, 10; I Reg. 21, 26; II Reg. 21, 11; Am. 2, 10 omnes gentes quae ante Israëlitarum adventum Palaestinam obtinuerant nomine Amorrhæorum comprehenduntur, quamquam alii Amorrhæi erant Cananaei — cf. Gen. 10, 16 — alii vero Semitae; cf. Dt. 3, 9. — Gen. 15, 19; Ex 3, 8, 17; Dt. 7, 1 promiscue Cananaei et Semitae nominantur).

In istas igitur gentes phoenicio-semiticas ii Philistini seu Caphtoræi inciderunt, qui per Casluchæorum terram profecti (Gen. 10, 14) oram maritimam Palaestinae sedem sibi delegerant. —

<sup>56)</sup> Delitzsch, l. c. p. 249: „Es ist doch wahrscheinlicher, dass zugleich hamitische Abkunft der Philister gemeint ist, als dass sie ἀγενεαλόγητοι dastehen.“

<sup>57)</sup> Hannecker, l. c. p. 22; Bertheau, Zur Geschichte der Israeliten, p. 199.

<sup>58)</sup> Quod nuper Muellerus — Die Semiten, p. 288 sqq. — demonstrare præsumpsit, omnes gentes quas dicunt semiticæ (Gen. 10, 22 sqq.) Indogermanis seu Japhethitis annumerandas esse, mirationem magis quam assensionem plurimorum virorum doctorum movit. Donec ad istam sententiam approbandam plura et graviora argumenta afferantur, nos quoque eam quae adhuc in usu fuit rationem populos nominandi et distinguendi retinebimus. Cf. Stiefelhagen in Reusch, Theol. Lit:blatt. 1872. Nro. 24, p. 578 sqq.

<sup>59)</sup> Knobel, l. c. p. 198 sqq. Schrader, Keilinschriften, p. 48; Volk, Ueber die Bedeutung der semitischen Philologie für die alttestam. Exegese, p. 11 sq. Cf. Abulfeda, Histor. anteistam, p. 178.

<sup>60)</sup> Steph. Byz. s. v. *"Ἀξωτος: ταῦτην ἔκπισεν εἰς ἐπανελθόντων απ' ἐρυθρᾶς θαλάσσης γυγάδων.*

<sup>61)</sup> Herod. I, 1; VII, 89. Strabo, I, 47. Plin. IV, 36.

<sup>62)</sup> Justin. Trogi Pomp. Histor. XVIII, 3.

<sup>63)</sup> Id quod S. Epiphanius (Adv. haer. lib. II, tom. II. haer. 66 c. 83) et S. Augustinus (Sermo 105 de tempore — ed. Lugd. 1664 tom. X. p. 264) a majoribus acceperunt, Semitas, divisione terræ temporibus Noë patriarchæ facta, ex Palaestina legitimate ipsis adjudicata violenter a Cananaeis propulsatos esse, ad eas quas supra explanavimus res gestas fortasse referendum est. Cf. Reinke, Das Recht der Israeliten an Canaan, § 12.

Quanta et qualis perturbatio rerum publicarum tum facta sit, quot proelia commissa, quaenam artes ab utraque parte ad principatum assequendum adhibitae sint, memoriae non est traditum. Hoc unum autem constat, non omnes indigenas occisos vel expulsos fuisse, quippe quorum posteri usque ad Davidis regis tempora in exercitu Philistinorum robore ac fortitudine excellerent (I. Sam. 17, II. Sam. 21, 16 sqq. Chron. 20, 4 sqq. Cf. Jos. 11, 22). Unde facile potuit fieri, ut advenae paullatim multas incolarum remanentium mores multasque consuetudines induerent.

Brevi certo Caphtoraei patrium suum sermonem linguae semiticae accommodabant, quoniam antiqua lingua aegyptiaca quod ad copiam vocabulorum et formarum declinationem attinet linguae semiticae simillima erat<sup>64)</sup>. Ideoque Philistini cum Israëlitis, qui jam patriarcharum suorum temporibus linguam cananaeo-semiticam adoptaverant (cf. Gen. 31, 47), interpretibus non adhibitis colloqui poterant (Cf. Jud. 14 sqq. I Sam. 27, 5 sqq. 29, 6 sqq.). Non omnia sane sermonis nativi elementa perierant, quamobrem Philistinorum lingua peculiaris dialecti semiticae speciem usque ad quintum a. Chr. n. saeculum retinebat. (Cf. Neh. 13, 24)<sup>65)</sup>. — Porro Caphtoraei res divinas aegyptiacas cum religione populorum devictorum sensim confundebant. Quum enim nonnulla nomina deorum a Philistinis postea cultorum semiticam sapient originem tum *Dagon* (*dag* = pisces), quem summi totius civitatis principes magnificis sacrificiis luxuriosisque conviviis Gazae (Jud. 16, 23 sqq.) venerabantur, jam apud veteres gentes illic habitantes magna auctoritate floruerat<sup>66)</sup>. Aliorum vero deorum cultum in nova domicilia sua Philistini sine dubio ex Aegypto transtulerunt; imprimisque mirabile Ekronitarum (II Sam. 1, 2, 3, 16) idolum nomine *Baal-Sebub* persimile erat scarabaeo pillulario, a multis Aegyptiis in deorum numerum relato, cuius insecti imaginem eorum milites in annulis suis insculptam gestabant<sup>67)</sup>; quapropter merito Hugius amborum numinum cultum congruisse demonstravit<sup>68)</sup>.

At jam satis ex iis quae modo explicavimus liquet Caphtoraeos in Palaestina mores suos et forenses et domesticos notabiliter mutasse. Neque alia erat eorum Philistinorum seu Caphtoraeorum conditio, qui antequam naves suas ad oram Palaestinensem appellebant, longum per temporis spatium in Creta habitaverant. Ejusdem enim insulae potentissimi incolae erant Carii (cf. Nro. 5), qui cum Caphtoraeis arciorem societatem quam cum ceteris gentibus finitimus iniisse videntur, quum passim in S. Scriptura Philistini non *Crethi* sed *Cari* nominentur (II Sam. 20, 23; II Reg. 11, 4 19). Ergo factum esse credimus ut hi quoque Caphtoraei multa quae ipsis propria olim fuerant plane exuerent aliisque consuetudinibus permutarent. — Quamvis autem permagna fuerint istae commutationes, tantum tamen abest, ut omnino de aegyptiaca origine Philistinorum dubitemus, ut in sententia nostra persistentes breviter denique quaeramus, a quibusnam gentibus ipsi originem suam non duxerint.

7. Plerique recentiorum interpretum putarunt, Philistinos fuisse „Hyksos“, populum pastorum illum semiticum, quem ex Asia egressum totam Aegyptum inferiorem per quingentos annos in ditione

<sup>64)</sup> Quo magis studia aegyptiaca excolebantur eo confidentius grammatici linguarum illarum cognitionem pronuntiarunt. Cf. Benfey, Geschichte der Sprachwissenschaft und oriental. Philologie, p. 683 sqq.

<sup>65)</sup> Ewaldus l. c. I p. 294 recte vocem *seren* (i. e. princeps) perscrutatur ad similitudinem aequae ac dissimilitudinem dialectorum illarum illustrandam.

<sup>66)</sup> Jos. 15, 41; 19, 27 *Bethdagon* nomen duarum urbium perantiquarum occurrit. Cf. Onomast. — ed. Migne III, p. 881 — s. v. *Bethdagon*: „... sed et usque hodie grandis vicus *Capherdago* inter Diaspolim et Jamniam demonstratur“.

<sup>67)</sup> Aelian. Natur. animal. XIII, 15. Cf. Plin. l. c. XXX, c. 11, p. 30.

<sup>68)</sup> Freiburg, Zeitschrift VII, p. 104 sqq. Calmet. l. c. p. 490 sqq.

sua ac potestate tenuisse dicunt<sup>69)</sup>). Quae pervulgata opinio propterea multis probatur, quod circumcisionis ceremonia apud Aegyptios ceterasque gentes chamiticas<sup>70)</sup> non vero apud Philistinos erat in usu (cf. Jud. 14, 3; 15, 18; I Sam. 14, 6; 17, 26, 36; 18, 25, 27; 31, 4; II Sam. 1, 20; 3, 14. I Chron. 11, 4); tum quod eo ipso tempore, quo populi illius pastorii reges crudelissimi Cheops et Chephren regnabant *Φίλιτης* (pro P'lethi = Pelischtim) pastor greges suas in Aegypto inferiore pavisse fertur<sup>71)</sup>). — At quonam temporis momento Aegyptii morem pueros suos circumcidendi receperint, minime adhuc exploratum est. Non defuerunt, qui illos imitatos esse Hebraeos sive Arabes gravibus allatis argumentis docuerint<sup>72)</sup>; immo fortasse soli Aegyptiorum sacerdotes circumcisierant!<sup>73)</sup> Inde sequitur, ut Capthoraei si ex Aegypto migraverunt (id quod factum esse infra demonstrabimus) prius quam Israelitae in *Goschen* pago domicilia sua ponerent, circumcisionis notitiam et usum habere non potuerint. — Dubiam autem atque incertam famam de Philite pastore rectius Delitzschius perspexit, qui gentes istas Asiaticas a Philisthaea finitima nomen *Φίλιτης* accepisse arbitratratur<sup>74)</sup>. — Praeterea non omittenda sunt haec:

a. Jam Abrahamus et Isaacus patriarchae Philistinos in parte occidentali Palaestinae habitantes offenderunt, quorum commercio, foedere cum Abimelecho rege icto, aliquantum temporis fruebantur, donec magnae Isaaci divitiae regis invidiam atque obtrvectionem movebant. (Gen. 21, 32, 34; 26, 1, 8, 14 sqq.). Haud ita multo post Jacobi patriarchae filii ad frumentum emendum in Aegyptum profecti Josephum fratrem suum Apophis — Hyksorum regis<sup>75)</sup> amicum invenerunt, quo cum per interpretem colloquerentur necesse erat (Gen. 42, 23). — Non ergo licet populos illos eodem fere tempore diversis in locis habitantes et diversis linguis utentes pro unico habere.

b. Ut Jacobi patriarchae mortui corpus conditum in sepulcro patrio prope Hebronem sito sepe larent Josephus multique Aegyptii (i. e. „Hyksos“) nobilissimi non recta via per Philistinorum terram sed Jordanum fluvium transgressi magno circuitu iter fecerunt (Gen. 50, 10), quibus longioribus viae ambagibus certe non usi essent „Hyksos“, si Philistinis consanguinitate propinqui fuissent<sup>76)</sup>.

c. Similiter Israelitae ex Aegypto postea in patriam remigrantes viam illam directam vitarunt. Cf. Ex 13, 17 sq. „... non eos duxit Deus per viam terrae Philisthiim, quae vicina est; reputans ne forte poeniteret eum si vidisset adversum se bella consurgere et reverteretur in Aegyptum, sed circumduxit per viam deserti, quae est juxta mare rubrum (Vulg).“ Adde quod notissimum est Israëlitas cum Philistinis perpetuas atque acerrimas gessisse inimicitias (cf. Nro. 1), id quod fieri vix potuisset, si Philistini eorum Hyksorum posteri fuissent, qui majores Hebraeorum benignissime olim in Aegypto receptos summis honoribus affecerant (Gen. 47 sqq.).

<sup>69)</sup> Knobel, l. c. p. 220 sq. Movers, l. c. p. 34 sqq. Mueller, l. c. p. 257 sqq. Cf. Flav. Jos. c. Apion I, 14. Euseb. Praep. evang. X, 13.

<sup>70)</sup> Herod. II, 104. Diod. I, 28; III, 31. Strabo, XVI p. 761, 771; XVII, p. 824.

<sup>71)</sup> Herod. II, 128.

<sup>72)</sup> Haneberg, Die religiösen Alterthümer der Bibel, p. 20 sq. Scholz, Die heiligen Alterthümer des Volkes Israel, II, p. 293.

<sup>73)</sup> Philo, De circumcisione; ed. Mang. II, p. 210; Orig. Hom. V in Jerem. n. 14. Epist. 70 epistolar. II. class. — Jablonsky, Proleg. ad Panth. Cf. Oehler, Theologie des alt. Test., I, p. 292 sqq.

<sup>74)</sup> Delitzsch, l. c. p. 556.

<sup>75)</sup> Syncellus, Chron. ed. Dindorf, p. 62: „... ἐπὶ γὰρ πᾶσι συμπεφώνηται ὅτι ἐπὶ Ἀποίφεως ἤξεν Ιωσήφ τῆς Διγύπτιον“. Cf. Fell in Reusch., Theol. Lit: blatt. 1869 p. 245 sqq. et in Chiliano 1869 p. 485 sqq. — Fellii de imperio Hyksorum sententiam Chabas, eruditissimus Aegyptologus Francogallicus nuper approbavit in libro suo: Les pasteurs en Egypte. Amsterdam.

<sup>76)</sup> Cf. Lengerke, Kenaan I, p. 196.

Phoenicibus oram aegyptiacam incolentibus Philistinos nuper Ebersius annumeravit ratione habita tabulae Canopensis, in qua Phoenicum patria aegyptiace Kfa (= Kaf) appellatur; unde subtili conjectura collegit, totam regionem septentrionalem Aegypti Phoeniciam magnam, aegypt. Kaf-t-ur (cf. Capthorim = Pelischtim) vocatam fuisse<sup>77)</sup>. — Numne vero Moses (Gen. 10, 14) Phoenices (i. e. Capthoraeos), qui solius mercaturaee causa sedes suas in oppidis aegyptiacis colloca- verant, veris ac germanis Aegypti filii omnino pares posuit? Ineptiusne celeberrimus Genesis Scriptor judicavit quam Homerus et Herodotus, qui colonos illos ab indigenis aegyptiacis recte semper discre- verunt?<sup>78)</sup> — Aliquantum insuper interest inter Phoenicum et Philistinorum naturam ac vitae rationem. Phoenices id unum studebant, ut mercatura permagna et copiosa ceteros populos superarent, quum Philistini, fortissimi Israelitarum hostes bellicis laudibus abundarent. Quibus de causis arguta Ebersii argumentatio de Capthoraeis videtur repudianda esse.

8. At longum est omnes virorum doctorum sententias de origine Philistinorum deinceps perscrutari: ea quae hucusque congettus ad rectum de re proposita judicium faciendum sufficiunt. Quam ob rem totius commentationis nostrae summam respicientes paucis tantum verbis quaestionem, quoniam tempore Philistini in Canaan terram pervenerint, hoc loco attingamus. — Philistini ab Aegyptiis orti ex regione septentrionali Aegypti Capthor cognominata terra marique emigrarunt. Ii qui per Caslu- chaeorum pagum proficiscebantur (Gen. 10, 14) aliquanto ante Abrahami patriarchae tempora partem occidentalem Palaestinae a gentibus cananaeo-semiticis obsessam (Gen. 21, 32, 34) occuparunt. Ceteri autem ad Cretam insulam appulsi duodecimo saeculo a. Chr. n. Philistaeam, gentilium suorum civitatem petierunt copiisque suis valde auxerunt; nam multo vehementius quam antea Philistini exinde Israëlitas aggressi (cf. I Sam. 4, 2 sqq. 13, 5, 19 sqq.) et revera abhinc stimulus in illorum carne facti sunt (cf. II. Cor. 12, 7), quo identidem adhibito Jahve consilia sua sapientissima de educatione sui populi capta facile exsecutus est.

<sup>77)</sup> Ebers, Aegypten etc. I, p. 130 sqq.

<sup>78)</sup> Odyss. XIV, 288. Herod. I, 1; II, 112.

## LECTIONES.

### A. ORDINIS THEOLOGORUM.

#### **Dr. Henr. Oswald, P. P. o. h. t. Decanus.**

- I. Dogmaticae partem priorem, quae est de Dei essentia et attributis ac de ss. Trinitate, praemissa brevi introductione, exponet quinques vel sexies per hebd. horis definiendis.
- II. Psalmos selectos interpretari perget bis terve per hebd. horis def.
- III. Grammaticam linguae Hebraicae una cum interpretationibus Hebraicis instituet bis terve per hebd. horis def.

#### **Dr. Franc. Hipler, P. P. O.**

- I. Theologiam pastoralem docebit sexies per hebd. hora VIII.
- II. De vocatione et praeparatione ad statum clericalem disseret diebus Lunae et Jovis hora II.
- III. Exercitationes catecheticas et paedagogicas moderabitur horis definiendis.

#### **Dr. Franc. Dittrich, P. P. O.**

- I. Historiam ecclesiasticam mediæ aëvi enarrabit sexies per hebdomadæ h. IX—X.
- II. Antiquitates ecclesiasticas docebit bis per hebd. horis def.
- III. De arte christiana disseret semel per hebd. hora def.

#### **Lic. Hugo Weiss, P. P. E.**

- I. Evangelium sec. Marcum explicabit quater per hebd. hora VIII.
- II. Antiquitates sacras et domesticas Hebraeorum tradet ter per hebd.
- III. Repetitiones exegeticas instituet semel per hebd.

#### **Lic. Julius Marquardt.**

- I. Theologiae moralis generalis principia explicabit ter per hebd. h. XI.
- II. Doctrinam ethicam de virtutibus et officiis ad vitam socialem pertinentibus tradet bis per hebd. h. XI.
- III. De patrologia disseret bis per hebd.

## B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

### Dr. Wilh. Weissbrodt, P. P. O. h. t. Decanus.

- I. Aristotelis de arte poetica librum enarrabit bis hebdomade h. IX.
- II. Historiam litterarum Graecarum tradet h. d.
- III. Tertulliani apologeticum interpretabitur h. d.
- IV. Ciceronis de legibus libros interpretabitur bis h. h. IX.

### Dr. Laur. Feldt, P. P. O.

- I. Physicen experimentalem docebit et conversatorium de rebus physicis instituet diebus Lunae, Jovis et Saturni hora XI—XII.
- II. Astronomiam popularem cum Astrognosia conjunctam exponet diebus Martis et Veneris hora XI—XII.
- III. Calculum differentialem et integralem tradet et doctrinam de integralibus definitis ad varias quaestiones applicabit diebus Martis et Veneris hora definienda.

### Dr. Jos. Bender, P. P. O.

- I. Historiae medii aevi capita praecipua tradet ter per hebdomadem hora VIII.
- II. Historiam Prussiae imprimis Warmiae enarrabit bis per hebd. h. VIII.
- III. Praemissa universa de linguarum scientia disputatione primordia ac fata linguae Theotiscae exponet semel per hebd. h. VIII.
- IV. De critica historiae tractandae ratione disseret semel per hebd. hora definienda.

### Dr. Fried. Michelis, P. P. O.

Commeatu impetrato lectiones nullas habere perget.

### Dr. Jos. Krause.

- I. Introductionem in studium philosophiae tradet bis per hebdom. hora X.
- II. Logicam et noëticam docebit ter per hebd. hora X.
- III. Historiam philosophiae veteris enarrabit semel per hebd. hora X.
- IV. Platonis Philebum interpretandum proponet semel per hebd. hora defin.

## PUBLICA DOCTRINAE SUBSIDIA.

Bibliotheca Lycei Regii, cui praeest Prof. Lic. Weiss, commilitonibus patebit diebus Martis et Veneris h. II—III.

Instrumenta, quae ad physicen, mathematicam et astronomiam pertinent, custodit Prof. Dr. Feldt.

## DE ORDINE LITTERARUM ET PRAEMIIS

## CERTAMEN LITTERARIUM ET PRAEMIA.

**Renuntiatio judiciorum de certamine litterario a commilitonibus Lycei Regii Hosiani anno superiore inito et quaestionum in currentem annum propositarum promulgatio.**

**Ordo Theologorum** pro certamine literario has quaestiones proposuerat:

I. Ex stipendio Scheill-Busseano: In conferendo sacramento ordinis Orientales et Occidentales quomodo differant, ex libris ritualibus utriusque ecclesiae patrumque testimoniis explicetur.

II. Ex instituto Regio: Quid veteres ecclesiae patres et scriptores de authentia Apocalypsis judicaverint.

De priore quaestione commentatio Ordini oblata est his verbis insignita: *Tίς οὖν ἐστιν Ἀπολλώς; τίς δὲ Παῦλος; διάκονοι δὲ ὁν ἐπιστεύσατε.* Ad Corinth. I, 3, 5.

Quam qui scripsit recte plerumque rem propositam perspexit dilucideque exposuit, magnamque operam ac diligentiam apparatu literario undique congerendo navavit. Quare quamvis sermone usus sit non satis facili limaque carente, ordo Theologorum praemium ei adjudicandum esse censuit.

Aperta schedula innotuit:

Henr. Benjamin, stud. theolog.

De altera quaestione libellus traditus est his verbis inscriptus: .... τὴν Ἀποκάλυψιν αὐτὸς Ἰωάννης Εὐαγγελιστὴς καὶ Θεολόγος ἔωρακεν ἐν τῇ Πάτμῳ καλονυμένῃ νήσῳ ἐν ἡμέρᾳ κυριακῇ. S. Athan. in Synopsi.

Cujus auctor multa quidem et dicta et testimonia patrum authentiam apocalypsis defendantium enumeravit, minime tamen, ut decuit, controversias hac de re per priora ecclesiae saecula habitas enarravit ac ponderavit, unde factum est, ut exempli gratia vel ea ipsa, quae s. Dionysius Alexandrinus hac de quaestione longe lateque disputat, vix leviter attigerit. Quum porro nec pure emendateque scripserit nec rem suam apte disposuerit, ordo Theologorum praemium constitutum ei adjudicare jure dubitavit. Ne autem severiore censura commilito deterreretur magis quam ad studia incitaretur, dimidiam praemii partem ipsi concedendam esse judicavit.

Reclusa charta prodiit:

Henr. Benjamin, stud. theolog.

**Ordo Philosophorum** ex instituto Regio hanc quaestionem proposuerat:

Narretur vita Joannis Kepleri, nec non accurate exponantur eius leges de planetarum motibus, additis investigationibus per quas Keplerus in has leges incidit, ratione habita libri Kepleri qui inscribitur: De stella Martis.

Quam quaestionem nemo commilitonum pertractavit.

In sequentem annum commilitonibus Lycei Regii Hosiani quaestiones proponuntur hae:

**Ab Ordine Theologorum.** *Stadtbibliothek Elze*

- I. Ex instituto Regio: De archidiaconis.
- II. Ex stipendio Scheill-Busseano: De Confessionis catholicae fidei a Stanislao Hosio Episcopo Warmensi Petricoviensis Synodi nomine primum conscriptae originibus theologumenis fatis.

**Ab Ordine Philosophorum.**

Ex instituto Regio:

- I. Repetitur quaestio de Keplero anno superiore non pertractata.
  - II. Nova proponitur haec: Veterum Prutenorum omne vitae genus fontibus recte justique aestimatis enarretur accurateque cum Celtarum, Germanorum Slavorumque moribus et institutis comparetur.
- Certantium commentationes sermone latino scriptae et more consueto signatae ante d. XV. Januarii a. MDCCCLXXVI Rectori Lycei tradendae sunt. Praemia victoribus constituta LXXV. Marc.
- Promulgatum in solemnibus Serenissimi Imperatoris et Regis Guilelmi nataliciis die XXII. Martii anni MDCCCLXXV.

03824

to the original manuscript of the *Book of Common Prayer* of the Church of England, printed at the beginning of the 17th century.

The original manuscript of the *Book of Common Prayer* of the Church of England, printed at the beginning of the 17th century.

of the *Book of Common Prayer*.

A. The original manuscript of the *Book of Common Prayer* of the Church of England, printed at the beginning of the 17th century.

1. A. The original manuscript of the *Book of Common Prayer* of the Church of England, printed at the beginning of the 17th century.